

tum non comminetur perpetuitatem. Equidem perituro orbi quæ qualisq; futura sit facies, & quàm confusas aliquando mentibus objiciet tenebras publicæ lucis, in suis enectæ fontibus, deneganda mortalibus usura non aliter expressit sacer Codex, ac per consternationem, & vaga consternationis effecta. At illa non capit animo cujus animo nullam experiri licuit consternationem. Nos verò ejus æstimamus magnitudinem, vel ex hac, quæ nobiscum hodie habitat. Licet enim illi non comparanda magis sit, quàm magno vulneri levissima plaga, tanta tamen est, ut majorem sustinere nemo possit; aut si, inhumanâ aliquâ fatorum lege, contingeret fortè major, nulla ejus futura sit penes nos recor-

A 2

datio,